

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Georgii Calixti S. Theol. D. ... De Praecipuis Christianae Religionis Capitibus Disputationes XV.

Calixt, Georg

Helmestadii, 1658

VD17 VD17 3:303575N

Disputatio XIV. De cultu sanctorum

[urn:nbn:de:bsz:31-128662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128662)

DISPUTATIO XIV.
DE CULTU SANCTORUM.

THESIS I.

POSTquam quæ ad Militantem ecclesiam pertinere videbantur, expedivimus, reliquum est ut ad Triumphantem convertamur, cujus cives sunt, qui sub signis Christi stipendia facientes fidem & bonam conscientiam usque ad dimissionem retinere, jamque ab infidijs Satanæ, à furijs mundi, à stimulis concupiscentiarum immunes, beati cum Christo in cœlis vivunt. Hos sanctos adpellari usus obtinuit: unde nascitur hîc nobis controversia cum Pontificijs de cultu Sanctorum, quæ ut ritè decidatur, principio ostendemus quid de Sanctis ductu scripturæ statuamus; deinde quomodo pugnent cum eadem, quæ Sanctis tribuunt adversarij.

II. Sanctus absolutè dicitur Deus opt. max. qui in se habet plenitudinem & principium totius sanctitatis. *Jes. VI, 3. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sebaoth.* Eadem ratione & modo sanctus appellatur Messias. *Jes. XLI, 14. Redemptor tuus sanctus Israël.* *Luc. I, 35. Sanctum quod ex te nascetur.* *Luc. IV, 34. Novi te qui sis, sanctus ille Dei.* *Dan. IX, 24. Et ungetur sanctus sanctorum.*

SANCTUS
QUIS DICATUR.

III. Per analogiam sanctum vocatur, quodcunque aliquam habet ad hunc primarium sanctum adtributionem sive convenientiam, atque inde sortitur denominationem extrinsecam ratione alicujus singularis vel dependentiæ, vel adjacentiæ, vel significationis. Ita sancta dicitur scriptura, sanctum templum, sancti sacerdotes.

Zz

Ita

Ita sanctum omne & sanctitas, quidquid Deo consecratum est. Jer. II, 3. *Israël est sanctitas Jehovæ.* Zach. XIV, 20. *In die illâ erit super tintinnabula equorum sanctitas Jehovæ; eritque omnis lebes in Jerusalem & Jehuda sanctitas Jehovæ.* I Reg. VII, 51. *Et tulit Selemoh sanctitates Davidis patris sui.* I Paralip. XXVI, 20. *thesauri sanctitatum.*

IV. Huc etiam pertinet illa sanctitas, secundum quam res omnes, quæ à fidelibus bonâ conscientia peraguntur, usurpantur, habentur sive possidentur, ipsorum respectu sanctæ & puræ dicuntur. Nam *omnia munda mundis: pollutis autem & incredulis nihil est mundum.* Item: *Quicquid condidit Deus, bonum est; nec quicquam rejiciendum si cum gratiarum actione sumatur. Sanctificatur enim per verbum Dei & preces.* Eodem modo & sensu: *Maritus infidelis sanctificatus est in uxore, & uxor infidelis sanctificata est in viro: alioquin liberi vestri impuri essent, nunc autem sancti sunt.*

V. Porrò per analogiam juxta intrinsicam denominationem sancti dicuntur Angeli, homines in innocentia & glorificationis statu. Vocantur etiam sancti qui sancti sunt imputatâ justitiâ, & in quibus inhabitans Spiritus sanctus novam sanctitatem operatur, quique sanctitati, quantum permittit humana conditio, student. Et sanctitas hoc sensu universam quoque justitiam notat, unde Deus eam à suis flagitans, sæpius inquit: *Sancti estote.* Lev. XI, 44; XIX, 2; XX, 7. I Pet. XI, 16. Tales igitur sancti alij vivunt, alij vivis excesserunt. Qui vivunt, nunquam de actuali illâ tanquam perfectâ gloriari possunt, verùm orare coguntur: *Demitte debita.* Sancti tamen dicuntur, quoniam huic operam ipsi quam possunt, navant; dein quia eos & Deus sanctos reputat, & Spiritus

Tit. 1, 15.

I Tim. 4, 4.

I Cor. 7, 14.

Spiritus sanctus renovat. Hoc sensu scribit Paulus dilectis Dei, vocatis sanctis Rom. 1, 7. Item Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis 1 Cor. 1, 2. Eodem modo 11 Cor. 1, 1. Eph. 1, 1. Phil. 1, 1. Coloss. 1, 2. Ita Rom. xv, 25. *Nunc proficiscar, ait, Hierosolimam, ministrans sanctis. Placuit enim Macedoniae & Achaiae conferre aliquid in pauperes sanctos, qui sunt Hierosolymis.* vide capituli sequentis v. 2 & 15. Eph. vi, 18 fieri jubet obsecrationes pro omnibus sanctis.

VI. Sancti qui diem suum obierunt, liberi agunt ab illis, quibus sanctitas in hac vitâ impugnatur, & jam divino beneficio integram possident sanctitatem & illibatam justitiæ coronam. Animæ eorum in manu Dei sunt, ubi non tangit eos tormentum. Corpora quiescunt in pulvere terræ, resuscitanda extremo die, & cum animâ iterum conjungenda. Unde Epistola ad Hebræos, *Deum providisse, ait, ut non sine nobis consummarentur.*

STATUS
SANCTO-
RUM DE-
FUNCTO-
RUM.

Sap. 3, 4

e. II, v. 40.

VII. De animis igitur sanctorum in Paradiso esse beatasque & frui conspectu Dei nos ultrò concedimus: quin imò urgemus, & contrarium doceri hæreticum dicimus. Non igitur contranos quæ Bellarminus operesè sex prioribus capitibus libri primi de sanctorum beatitudine disputat. Quod autem cap. xlix dicit sanctos orare pro nobis in genere, non quidem improbamus, neque tamen ut articulum fidei adfirmamus, cum nullo Canonice scripturæ testimonio nitatur. Probabilem verò & piam opinionem judicamus, quum non ignorent illi, quòd ecclesia in terris militet, & quibus subjecta sit calamitatibus, quas quoque ipsi experti fuere; quumque membra nobiscum sint unius corporis, cujus caput est Christus, & compertum habeant tempus consum-

364 DE STATU SANCTORUM DEFUNCTORUM.
mationis suæ differri, donec compleantur conservi eorum & fratres eorum, Apoc. VI, II.

HIX. Prorsus autem improbabile est quod jungit eodem capite, *sanctos pro nobis orare etiam in particulari*. Item, à *spiritibus beatorum hominum regi & gubernari fideles viventes*. Item, *spiritus hominum beatorum post mortem ante diem resurrectionis accipere potestatem in gentes, & regere & pascere eas, nec non esse columnas in templo Dei, id est, sustentare Ecclesiam, ac demum sedere in throno Christi, id est, cum illo præsidere toti mundo, & ecclesiam regere & gubernare*. Quis non horreat manifestas blasphemias, tribuentes creaturis quæ solius Dei sunt, quæque alijs tribui nevelt? Et quomodo nisi Deus sint cognoscant singulos singulorum labores, exaudiant preces? Frigidè

cap. 16. respondet Bellarminus contentus nudâ adsertione, quæ neque scripturâ neque ratione munita, imò in utramque potius impingit. Dicit enim: *Adserimus eos cognoscere nostras preces, non ut sunt in mentibus nostris, sed ut sunt in Deo, quem vident, & qui eas ipsis ostendit*. Contrà est

c. 36, v. 16. Jesaias: *Abraham nescivit nos, & Israël non cognovit nos*.

cap. 13, 15 & 16. Augustinus lib. de curâ pro mortuis disputat & multis probat defunctos sanctos nescire quid in terris rerum gerant, boni aut mali experiantur, etiam quos reliquere filij, heredes, propinqui.

2 Reg. 22, 20. Inter cætera urget hanc promissionem Domini, factam Josiæ: *Ecce ego colligam te ad patres tuos in pace: & non videbunt oculi tui omne malum, quod ego induco super locum hunc*.

CULTUS
SANCTO-
RUM.

IX. Hactenus de statu sanctorum extra terras; nunc de cultu, qui ipsis debetur in terris. De hoc docemus Memoriam eorum celebrari & renovari debere, laudari & commendari. Quippe irreligiosum foret se-
cus

eus sentire aut loqui de ijs, qui amici & cohæredes sunt Christi, quorum sanguis & quorum mors preciosa est in conspectu domini, & de quibus expressè scriptum est Psal. CXII, 6. *In memoriâ aeternâ erit justus.* Prov. x, 8. *Memoria justi erit in benedictione.* Memoriam itaque eorum honorificè scriptura passim celebrat, ut Abrahami, Isaaci, Jacobi. Item Josephi, Mosis, Aharonis, Pinehæ. Psal. cv & cvi. Christus ipse Abrahami Ioan. IIX: & ejusdem Paulus Rom. IV. Prophetarum Petrus I Ep. I, 10. Stephanus Patriarcharum, & Mosis, & Davidis, & Salomonis, Act. VII. Panegyrii horum & plurium textit Epist. ad Heb. c. XI, & Siracides c. XLIV.

X. Sanctorum verò memoriam renovamus, vitas & gesta enarramus, fidem & benefacta prædicamus ab tres causâs, quarum una ad Deum refertur; ad ipsos altera; ad nos tertia.

XI. Prima igitur est & præcipua, ut Deus glorificetur in sanctis suis, qui mirabilis est in illis, Psal. LXIIX, 36. qui eos singulari gratiâ & varijs bonis benignè ornat, in adversis clementer sustentat, ex periculis potenter liberat, vitâ & coronâ donat, denique pro infinitâ suâ sapientiâ modò tollit modò premit & corripit, ne cum mundo damnentur, I. Cor. XI, 32. Hoc modo Paulus conversionis suæ & successuum in ministerio narrationem Concludens, *glorificabant*, inquit, *Deum in me.* Gal. I, 24. Christus Matth. v, 14. *Vos estis lux mundi: sic luceat lux vestra, ut homines videntes bona opera vestra glorificent Deum.* Maria in cantico: *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Psal. CXV, 1. *Non nobis Domine, non nobis sed nomini tuo da gloriam,*
 ZZ 3 *propter*

Psal. 71, 14
& 116, 15.

Gal. I, 24.

Luc. I, 49.

propter misericordiam tuam & veritatem tuam, ne dicant gentes ubi est Deus eorum?

XII. Altera causa est, ut & ipsi laudem quæ virtuti debetur, consequantur. Si enim justitiam in Aristide, castitatem in Scipione, eloquentiam in Cicerone celebramus, quidnã eos quoque elogijs condecoremus, qui divinis donis claruerunt, ipsique bene usi sunt? Ita Paulus de semetipso: *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed laboravi.* 1 Cor. 15, 10. Heb. 111, 5. *Moses fidelis fuit in domo Domini.* Matth. xxv, 21. *Euge serve bene &c.* Apoc. xii, 11. *Non dilexerunt animas suas usque ad mortem.* Inde Cyprianus ad Presbyteros & Diaconos Romanos: *Dies eorum quibus excedunt adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus.* 16. 3. ep. 6.

XIII. Tertia causa nos tangit, ut confirmemur in doctrinã, fide, spe, patientiã, caritate, & hæc summo studio imitemur. Heb. xii, 7. *Mementote ducum vestrorum, qui vobis loquuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem.* Atque si hoc faciamus, tum præcipuum honorem sanctis ipsis nos deferretur Paulus Phil. 11, 15. *Sitis irreprehensibiles in medio nationis pravae, inter quos lucete tamquam luminaria in mundo ad gloriam meam in die Christi.* 1 Thes. 11, 20. *Vos estis gloria nostra & corona gloriationis nostrae.* Phil. 111, 17. *Imitatores nostri sitis, & observate eos qui ita ambulant, sicuti nos habetis pro exemplari.* 1 Cor. xi, 1. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.*

XIV. Hæc de cultu sanctorum habet scriptura: nihil præterea eorum quæ adsuunt Pontificij. Fingunt illi sanctos pro nobis apud Deum intercedere & mediatores esse. *Intercedunt, inquit Magister sententiarum, ad Deum pro*

1. 4. dist.
45. G.

pro

pro nobis sancti: & merito, dum illorum merita suffragantur nobis; & adfectu, dum vota nostra cupiunt impleri, quod tamen non faciunt nisi in voluntate Dei implenda didicerint. Oramus ergo, ut intercedant pro nobis, id est, ut merita eorum nobis suffragentur. Vide quoque Thomam II, II, quæst. LXXXIII, art. IV. Invocant igitur sanctos Pontificij, ut pro se orent, merita interponant, Deum & Christum iracundiores, quàm tutò adiri possint, placent; existimant-que preces quæ fiunt in templis ad statuas aut tumbas sanctorum, ipsorum operâ Deo offerri, acceptiores esse & promptius exaudiri.

XV. Neque hoc tantùm. A sanctis immediatè expostulant confirmationem in fide, donum perseverantiæ, salutem & vitam æternam. Mariam medicatricem Dei & hominum vocant, reparatricem, illuminatricem, advocatricem, matrem misericordiæ; imò totum Psalterium deformarunt, & invocationibus Mariæ adplicarunt. Porrò quod non minus ridiculum est, quàm impium, ad imitationes gentilium inter sanctos singularium munerum functiones, locorum tuitiones, periculorum propulsationes distribuunt. Et bonum factum Heriberti Rosweydi Iesuitæ, qui emissio tractatu promittit se daturum & editurum Tomos XVI de vitis Sanctorum cum duobus tomis illustrationum in vitas Sanctorum, quorum prior futurus sit adnotationum; posterior indicum, in quo hosce etiam indices promittit. VI Index locorum ubi coluntur SS. tamquam patroni. VII Index nominum SS. pro curationibus certorum morborum. VIII Index eorum SS. qui patroni certorum opificiorum.

A. C. 1609.
Ant. ap.
Moretum.

XVI. Ista ferè sunt Pontificia commenta; inter quæ

quæ enorme maximè, quod sanctos invocari volunt. Hoc priusquam pluribus ostendamus pauca ex scripturis de invocatione prælibabimus.

XVII. Hebræa vox est תָּוַעַל *Incurvavit*, *humiliavit*, Græcis κατακλιῖναι , illum gestum corporis Orientalibus usitatum propriè significat, quo alij alios honorabant. Ita Loth visis angelis homines esse arbitratus surrexit in occursum eorum, & incurvavit se in faciem super terram, Gen. XIX, 1. Ita fecit Abraham populo terræ, filijs Cheth, Gen. XXI II, 7. Iacobus Esau septies, Gen. XXXI II, 3. Iosepho fratres, Gen. XLII, 6. Translata est ad significandam adorationem Dei, cultum inter divinos præcipuum, qui complectitur gratiarum actionem pro exhibitis beneficijs & aliorum petitionem. Nititur mandato divino, promissionibus expressis, & meritis Christi. In Veteri Testamento adligatus erat quodammodo ad populum Israëliticum, arcam fœderis & templum. De tempore verò N. Testamenti ait Christus:

Jo. 4, 21 &
23.

Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate, neque in monte Garizim, neque Hierosolymis: sublatis scilicet locorum discriminibus. Hoc sensu servus Abrahami inclinavit se & incurvavit Domino Gen. XXIII, 26. Vide & Exod. XXIV, 1. De tali incurvatione scriptum est Exodi XXIII, 24. Non incurvabite dijs eorum (gentilium) neque servietis eis. Psal. LXXXI, 10. Non erit in te Deus alienus, nec incurvabitis te Deo extraneo.

XIIX. Aliud vocabulum est קָרַב . Omittimus jam, quòd alicubi significet *Contigit, evenit, accidit*, Gen. XLII, 38; XLIX, 1. Deut. XXXI, 29. Ierem. XIII, 22. *Alicubi occurrit*, Ex. V, 3. Deut. XXI, 6. Num. XXI II, 7. *Alicubi legit*, Ios. I IX, 24. Ies. XXXVII, 14. Quantum huc spectat, notandum

randum est, ALIàs notare simplicem adpellationem, vocationem aut invitationem, Gen. I, 5. Pſal. xxxiv, 7. Eſth. v, 12. ALIàs denominationem aut cognominationem à nomine alterius. Ita Iſraël adoptans Joſephi filios ait: *Vocetur in eis nomen meum & nomen patrum meorum.* Gen. 48, 16. Sicut Ieſ. iv, 1. legitur: *Et adprehendent ſeptem mulieres virum unum in die illà dicendo: Panem noſtrum comedemus & veſtimentis noſtris induemur, tantum invocetur nomen tuum ſuper nos, auſer opprobrium noſtrum.* Hac phraſi aliquando & nomen Dei ſuper aliquem vocari dicitur, Dan. ix. 18. Act. xv, 16 citatur ex Håmos ix, 12: *Omnes gentes ſuper quas invocatum eſt nomen meum.* Ita intelligendum quod habet Ieſaias c. XLIV, v. 3. *Iſpe dicet, Domini ego ſum, & iſte invocabit in nomine Jacob: & iſte ſcribet manu ſua Domino, & nomine Iſraël cognominabit ſe.* ALIàs prædicationem aut concionem. Ieſ. LXI, 1 & 2. Jonæ I, 2. ALIàs invocationem & implorationem nominis & auxiliij divini Joel. III, 5. Act. II, 21. Rom. x, 13. *Omnis qui invocaverit nomen Domini ſalvuserit.* Pſal. L, 15. *Invoca me in die tribulationis, eruam te & glorificabis me.* Et quoniam talis invocatio præcipuus & maximè conſpicuus cultus eſt, ſumitur aliquando pro toto cultu divino. Sic de inſtauratione ejus dicitur Gen. iv, 26, *quòd nato Henoch ceptum ſit invocari in nomine Domini.* (niſi fortè juxta alios indicetur ceptum eſſe polluinoſum Domini, maledicendo per illud) Sic Abraham Gen. xii, 8 *ædiſcavit altare Domino & invocavit in nomine Domini,* id eſt, prædicavit, ſacrificavit, oravit. Sic Petrus: *Si patrem invocatis eum, qui ſine* 1 Ep. 1, 17. *acceptione perſonarum judicat &c.*

XIX. Hiſce ita obſervatis ſubjungemus, quomodo Pontificij ſuam Sanctorum adorationem inerula-

re contentur, & quâ tegete palliare. Idque ex Bellarmini de Sanctorum beatitudine lib. I, cap. XII. *Primo loco, inquit ille, observandum est adorationem tres actus complecti. I. actum intellectus, quo adprehendimus excellentiam alicujus. II. actum voluntatis, quo nos illi interiùs inclinamur, & aliquid volumus facere actu interiore vel exteriori, quo protestemur ejus excellentiam, & nostram subjectionem. III. actum exteriorem, quo caput inclinamus, vel genu flectimus, vel aliquid aliud signum subjectionis ostendimus. Ex quibus actibus secundus est maximè proprius & essentialis; nam primus actus potest esse sine adoratione; tertius etiam cum irrisione. Benè quidem hoc notavit: verùm in adsignando actu secundo deficit. Non enim adoratio tantùm alicujus excellentiam protestatur, sed potius & intellectum & voluntatem ita addicit, ut invocans eùm sciat, eum qui invocatur posse juvare, & velle invocari; tum confidat eum velle juvare.*

2, 2. q. 85, a. 1

Nititur quippe mandato & promissionibus. Thomas verò orationem ponit in parte intelligente. Sed pergat Bellarminus. *Secundo observandum est, inquit, tot esse species adorationis sive cultus, quot sunt species excellentiæ. Honor enim sive cultus debetur personæ propter excellentiam ejus. Sed tres sunt species excellentiæ. Prima est excellentia divina, & infinita; cui respondet prima species cultus, qui à Theologis dicitur latria. Secunda est excellentia humana seu naturalis, quæ posita est in humanis virtutibus, dignitatibus, gradibus; cui respondet secunda species, cultus civilis & observantia quædam humana. Tertia est excellentia quædam media inter divinam & humanam, qualis est gratia & gloria sanctorum; ista enim sunt dona supernaturalia & excellentissima, & huic excellentiæ respondet tertia species cultus, quam Theologi vocant duliam; & quia inter sanctas creaturas humanitas Christi, si seorsim consideretur,*

spuleretur, singulariter excellit propter unionem ad verbum; & similiter B. virgo, ut mater filij Dei ita præstat alijs sanctis, ut possit dici Domina & Regina nostra; ideo Theologi hanc tertiam speciem, quam vocant duliam, dividunt in duliam propriè dictam & hyperduliam, tribuentes illam sanctis cæteris, istam soli humanitati Christi, & matri ejus. Hæc oratio & mens Bellarmini.

XX. Hic libet quærere, quomodo cum agamus de adoratione, spectante ad religionem, idque vel juxta Thomam; *ad religionem verò pertineat exhibere reverentiam uni Deo secundum unam rationem, in quantum scilicet est principium creationis & gubernationis rerum; quomodo, inquam, adorationem distinguat secundum diversitates excellentiarum, quæ latius patent. Num excellentiam humanam quoque adorari volet? Num vero sui oblitus cum adorationem illam specialem nempe religiosam distinguere deberet, cultum & observantiam in genere quamlibet distinxit? Deinde distinctionem desumit ab actu exteriori, quum desumere deberet ab interiore. Si enim ille actus, qui in adoratione essentialis est, & ratio formalis, tribuitur alicui rei, utique & ipsa adoratio tribuitur, & committitur idololatria.*

XXI. Molitur quidem in progressu etiam juxta actus interiores distinguere. *Notandum est, inquit, has ipsas species adorationis quantum ad actus interiores optimè distingui. Nam prima species, id est latria, est quædam summa voluntatis prostratio & inclinatio cum apprehensione Dei. Secunda species, id est, cultus civilis est longè minor inclinatio voluntatis, cum apprehensione certâ humanæ excellentiæ. Tertia species est media quædam inclinatio voluntatis, cum apprehensione excellentiæ plus quàm humanæ & minus quàm divinæ.*

Verùm major aut minor inclinatio voluntatis non facit differentiam in ipsâ formali ratione inclinationis, quin hæc quoque ipsa, utut minor, adoratio sit. Aliàs, neque imbecilla fides, neque imbecilla caritas, fides erunt aut caritas. Et profectò (proh dolor) in nobis ipsis experimur voluntatem nostram multoties valdè debiliter ad Deum inclinari. Si itaque major aut minor inclinatio differentiam facit in formali ratione inclinationis, quomodo talem inclinationem adpellabit? Neque enim poterit esse *λατρεία*. Deum itaque *δουλεία* colemus.

XXII. Præterea fallit in adsignandis differentijs excellentiarum. Immediata est divisio in Infinitam & Finitam, Increatam & Creatam, Creatoris & Creaturæ. Atque hæc exhaurit totam latitudinem dividendi. Soli creatori debetur religiosus cultus, qui præcipuè consistit in adoratione, de quâ scriptum est: *Deum tuum adorabis, & illi soli servies*. Creaturæ exhibeatur cultus tantum distans à cultu creatori exhibendo, quantum ipsæ excellentiæ inter se distant. Non igitur adoratio sed observantia vel reverentia; neque inter hæc medium aliquod est, quum non sit medium inter Creatorem & creaturam.

XXIII. Quare non rectè excellentiæ divinæ humanam opponit, & tertiam facit inter eas mediam, gratiam & gloriam Sanctorum. Nam si ab immediatâ illâ divisione recedendum foret, vel mille fierent species excellentiarum, quarum tamen nulli adoratio debetur, præterquam divinæ. Et si sanctos adorandos censet, quia in illis aliquid est majus naturalibus viribus & virtutibus, adoret quosvis fideles viventes. Nam illi templa sunt Spiritus sancti, & habent fidem atque caritatem, quæ & ipsa dona sunt supernaturalia & excellentissima.

Imò

Imò si adorat propter excellentiam divinam minorem, humanam majorem, adoret quoque diabolum.

XXIV. Postremo hæc distinctio *λατρείας & θυλείας* præter scripturam est, unde principia, norma & regula invocationis peti debent. Quin in scripturis utrumque sine discrimine modò Deo, modò creaturæ tribuitur. Talis itaque usus horum vocabulorum contra scripturam est.

XXV. De cultu verò creaturarum monemus, deferendam eis esse reverentiam & observantiam, pro cuiusque excellentiâ; neutiquam verò adorationem, prout dicit actum interiorem. Nam si sumatur pro exteriori, ut incurvatione, non quidem pugnamus. Et observentur hæc dicta Augustini. *Dicimur colere homines, quos honorificatione, vel recordatione, vel præsentia frequentamus.* 10. de civit. c. I. Item. *Multa de cultu divino usurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, sive humilitate nimia, sive adulatione pestifera: ita tamen ut ij, quibus ea deferuntur, homines haberentur, qui dicuntur colendi ac venerandi, si autem multum eis additur, & adorandi.* cap. 4.

XXVI. Nunc ostendendum nobis est, quomodo pugnet cum scripturâ sanctorum invocatio. Recitabimus verò expressa loca, quibus solus Deus adorari jubetur: creaturarum adoratio prohibetur. Deut. VI, 13, & X, 20: *Dominum Deum tuum timebis & ipsi servies; & in nomine ejus jurabis.* Repetit Christus, cum Satanas ab ipso *πρωτοκλήτω* postularet Matth. IV, 10. *κύριον τὸν θεόν & τὸ προσκυνῆσαι, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.* Paulus Rom. I, 25 reprehendit gentes, quòd coluerint & servierint creaturæ *τῷ θεῷ τὸν κτίσαστα* præter creatorem. Gal. IV, 6 *ἰδὲ λέγουσιν τοῖς μὴ φύσει ἑσθιθεοῖς.* Jes. XLII, II. Gloriam meam alteri

374 DE INVOCATIONE SANCTORUM.

Ex. 20, 5. *alter non dabo.* Itaque hinc Deum zelotem se dicit. Hæc autem gloria Dei inter præcipuas est, quòd adoretur. Exodi xx, 2. *Non habebis Deos alienos præter me.* Habent verò Deos alienos vel creaturas pro Deo, qui in eas collocant spem & fiduciam, quæ ad unum Deum referri, e. 17, v. 5. eique soli inniti debent. De talibus Jeremias: *Maledictus vir qui confidit in homine.* Psal. cXLVI, 3. *Nolite confidere in filiis hominum, in quibus non est salus.*

XXVII. Porro creaturas habent pro Deo, qui ab ipsis divina beneficia, vitam & salutem & media ad eam petunt. Talium enim auctor & dator solus Deus est, juxta Jacobum: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum sursum est, descendens à patre luminum.* Jes. XLIII, II. *Ego sum Dominus, & non est absque me Salvator.* Hof. XIII, 4. *Ego sum Dominus Deus, & Salvator non est præter me.*

XXIX. Pontificios verò in sanctos fiduciam collocare, imò fiduciam & præsidium adpellare, & ab ipsis omnia bona exoptulare, tam manifestum est ex publicis precibus, ut negare non ausit Bellarminus. Sic enim usque in hodiernum diem universa ecclesia Pontificia canit: *Maria mater gratiæ, Mater misericordiæ, Tu nos ab hoste protege, Et horà mortis suscipe.* Halberstadij in templo primario etiamnum residua è Papatu hujusmodi exstat imaginis Mariæ subscriptio: *Hæc sunt LXXII nomina B. Mariæ, quæ sibi per Spiritum sanctum, ut fertur in ejus miraculis, imposta fuerunt, & ipsa Maria dedit ea uni Episcopo, & dixit ei, quòd quicumque homo ea devotè recitaret quolibet die Sabbatho, cum VII Ave Maria, in ecclesià coram imagine suà, quòd ipsa sibi ante mortem suam visibiliter apparebit, & FACIET EUM HÆREDEM IN REGNO FILII EIUS.* Joan. Pineda non ignobilis Jesuita commentaturus

rus

rus in Jobum ad hunc modum præfatur: *Sicut Prophetæ ab angelis qui sibi aderant suarum visionum significationem & sensum confestim precibus efflagitabant: ita sanè ab ipso hujus libri scriptore eorum, quæ scripsit, intelligentia obtinenda est, tum precibus, tum ipsâ illius patientiæ imitatione.* Intelligentia S. Scripturæ summum certè Dei donum est. Præfat. 8.8.

XXIX. Bellarminus itaque fraude quadam idolatriam suorum conatur fucare, dum hanc propositionem ponit: *Non licet à sanctis petere, ut nobis tanquam auctores divinarum beneficiorum gloriam vel gratiam aliaque ad beatitudinem media concedant.* Et addit, ne dum excusat, se suosque omnes damnet: *Notandum tamen, cùm dicimus non debere peti à sanctis, nisi ut orent pro nobis, nos non agere de verbis, sed sensu verborum.* Sed annón verba sensum suppeditant, & illi in precibus homines aliter loqui docent, quàm sentiendum sit?

XXX. Deinde, ibidem alio colore fœdam meretricis Babylonix maculam pingit. Ait: *Sancti non sunt immediati intercessores nostri apud Deum, sed quidquid à Deo nobis impetrant per Christum impetrant.* Nota tres personas posse considerari, quando nos Deum oramus, unam ipsius Dei, à quo petimus beneficia: alteram Christi, per cujus meritum ea cupimus nobis dari: tertiam ejus, qui petit beneficia per Christum. Ex his tribus personis non potest prima sanctis tribui, nec secunda, sed solum tertia. Itaque sanctos invocamus ad hoc solum, ut faciant id, quod nos facimus, quia melius & efficacius ipsi facere possunt, quàm nos, & melius illi & nos simul, quàm nos soli. Quibus verbis Bellarminus cæteros Pontificios Doctores & publicam Ecclesiæ suæ praxin damnat. Suprà enim ostendimus doceri, sanctos sua merita pro nobis offerre Deo, & per illa impetrare.

Et

Et nihil frequentius in precibus, quàm *præsta quæsumus Domine, ut ejus meritis intervenientibus &c.* Sic de S. Anna: *Deus qui beatam Annam matrem tuæ genitricis fieri voluisti: præsta quæsumus, ut meritis utriusque matris & filię regna cœlestia consequamur.* Iesuitæ in templo suo Augustæ Vindellicorum imaginem Afræ hoc epigrammate voluerunt esse conspicuam:

Urbis prima salus orbis precor Afræ salutem,

Ut sit PER FLAMMAS urbs mea salva MEAS.

Num hoc non est sua merita interponere; per sua merita imperare? num hoc idem est facere, quod nos facimus? Quinimò sibi ipsi contradicit Bellarminus. In superiore enim conclusione dixerat sensum suarum orationum esse: *Da mihi hoc & illud tuis precibus & meritis.*

Jes. 48, 11.

XXXI. At contrà Dominus apud Prophetam:

Propter me, propter me faciam, nam alioqui pollutum esset nomen meum, & gloriam meam non dabo alteri. Nihil igitur isthoc fuco proficit, nec efficit, quò minus in Christum unicum Pontificem & mediatorem nostrum injurius sit. Præter hunc enim alium sive mediatum sive immediatum, cujus, inquam, merita inter nos & inter Deum interponantur, Scriptura nullum agnoscit. I Tim. II, 5. *Unus est mediator Dei & hominum.* I Ioan. II, 1. *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum.*

XXXII. Hebr. IV, 15. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris. Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus ad auxilium opportunum.* Hoc dicto redarguitur ea quoque blasphemia, quâ adserunt peccatoribus non esse consultum rectâ ad Deum, utpote justum

justum & iracundum, accedere. Deus enim misericordiam suam ubique amplectendam proponit, & de eâ homines obtestatur Ex. xxxiv, 6. Psal. ciii, 8. cXLV. 8. Porro clara sunt dicta Eph. iiii, 12. *In Christo habemus τῆς πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἀγαπῆς ἐν πνεύματι.* Ioan. xvi, 23. *Amen Amen dico vobis, quidquid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Ioan. xiv, 13. *Quidquid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Psal. cXLV, 18. *Præsto adest Dominus invocantibus eum in veritate.* Matth. vii, 11. *Si vos cum sitis malis vestris bona dare &c.*

XXXIII. Præterea admiffâ Sanctorum adoratione, evanescit argumentum pro divinitate Christi, lib. 1. de Christo c. 6 sumtum ab adoratione, quo ipse Bellarminus utitur.

XXXIV. Paulus quando dicit: *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Rom. 10, 14 manifestè ostendit, in eundem quem invocamus, credendum quoque esse. In Sanctos itaque quoniam credere non debemus, neque Sanctos adorare debemus.

XXXV. Demum hisce testimonijs & rationibus consonant & concordant exempla in scripturis. Act. 10, 26 Cornelius cum procidens ad pedes Petri adoraret, elevavit eum Petrus & dixit: *surge, & ego ipse homo sum.* Angelus Apoc. 10, 10 & 22, 9 Ioanni adorationem paranti ait: *Vide ne feceris, confervus tuus sum, & fratrum tuorum. Deum adora.* Abundè igitur constat invocationem creaturarum, utut excellentium, manifestam esse idololatriam, & contra sacras litteras.

XXXVI. Quamquam ad redarguendam huiusmodi Invocationem sufficeret, quòd sit præter sacras litteras; quòd nullum in ijs illius mandatum, nullum exemplum. nulla promissio de præmijs præstantium; nulla comminatio de pœnis negligentium.

Bbb

XXXVII.

XXXVII. Nam quum invocatio sit actus religionis, Religio verò judicari debeat ex verbo Dei, quod lucerna est pedibus nostris, unde neque ad dextram neque ad sinistram declinare licet, manifestum est invocationem susceptam præter verbum Dei, eo quoque ipso contra verbum esse. Christus certè & Apostoli hortantur, ut indefinenter oremus. Nusquam verò creaturas adorare docent, sed patrem, inquit Christus, adorare in nomine meo. Exempla idem testantur Patriarcharum, Regum, Prophetarum. Unde & hoc constat, quoniam nullum hic verbum, nulla promissio, non posse non in tali adoratione meram dominari dubitationem; tantum abest, ut adsit fides, quæ ex verbo concipitur. Talem igitur adorationem aliquid impetrare, aut Deo placere impossibile est.

XXXIIX. Denique quanti sit in negotio verbum & mandatum, videre licet Deuter. XVI 1, 3. ubi pœnam idololatriæ Deus præscribens notam ejus hanc facit, quòd sine mandato fiat. *Si iverit, inquit, & coluerit Deos alienos, & incurvaverit se ijs, Soli, vel Lunæ, vel omni militiae cælorum, quod non præcepi.* Saltum, inquam, facere si liceret, & principia aliunde quàm ex voluntate Dei in verbo expressâ deducere, ex gradibus puta excellentiarum, sicut facit Bellarminus, non foret difficile huic idololatriæ prætextum & excusationem invenire. Sed verbum est, juxta quòd nisi dicamus, & doceamus, non erit nobis matutina lux.

Hæc de cultu Sanctorum, adeoque ecclesiâ Militante & Triumphante disputare libuit: restat ut consideremus, quid de tertiâ illâ statuendum sit, quam Pontificij tradunt in Purgatorio crimina torminibus eluere, donec defecata Triumphanti jure meritoque adenseatur.

DISP.